



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1541. usque ad annum 1546

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770

VD18 90118510

§. 4. Papa Carolo V. valere jussu Romam reversus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66615)

Sæcul. XVI.
A.C. 1541.

§. IV.

Papa Carolo V. valere jusso Romam reversus.

Ergo Imperator accepta Pontificis benedictione Luca discedit, ac Paulus III. quoque itineri sese accinxit, & per Pistorienses montes primo Bononiam, demum vero Romam contendit, quam urbem sine omni pompa ingressus est; ita enim prius caverat, ut sumptibus atque molestiis parceret (*). Biduo post in toto Ecclesiæ Principatu Anni sacri solemnitatem promulgari jussit, publicasque supplicationes decrevit, atque speciales orationes fundi præcepit, eo fine, ut Deus cœlesti favore, ac potenti auxilio Cæsaris, qui vitam suam contra fidei hostes exponere aggrediebatur, consiliis armisque feliciter adspirare dignaretur. Id quoque in Germania fieri per Nuntium suum præcepit, Jubilæi tamen gratias ad universum orbem extendi

(*) Ut Continuator Papam a celebrando Concilio alienum pro more suo depingere posset, subdole reticuit ea, quæ in hisce colloquiis Papam inter & Cæsarem conclusa fuisse ceteri Scriptores memorarunt, hos inter Paulus Jovius hæc refert: *Nihil magis eo colloquio decretum est, quam ut Concilium, quod petebat Cæsar & Pontifex, in annum sequentem indiceretur.*

tendi noluit, veritus, ne Galli ac Veneti Sæcul. XVI. A. C. 1541.
ejusmodi solemnitatis promulgationem præpedirent.

§. V.

*Sex novi Episcopatus ab Angliæ
Rege erecti.*

Cum interea Carolus V. Imperator ex- Burnet. hist. tra Imperii sui fines victricia arma reform. l. 3. circumferre pararet, Henricus VIII. An- p. 412. &c.
gliæ Rex totus ad id erat intentus, ut
intra Regni sui ambitum novos redditus
assignaret. Jam anno priori mense De-
cembri novos quosdam Episcopatus eri-
gere cœperat, ac præprimis Westmona-
steriensem Abbatiam ad Episcopalem
Ecclesiam evexit, atque in ea Decanum
unacum duodecim Canonicis instituit:
hoc autem anno Christi millesimo quin-
gentesimo quadragesimo primo Wer-
burgense Monasterium in Cestriensi urbe
situm in Episcopatum commutavit, ibi-
demque præter redditus Decano assigna-
tos etiam sex Canonicorum, ut vocant,
præbendas fundavit, nec minus Osna-
ense in Oxoniensi urbe, & Bristolliense
S. Augustini Cœnobium, nec non Pe-
terburgense pro Episcopatibus selegit.
Post hæc potissimarum Cathedralium
Ecclesiarum Prioratus, quos inter præ-
cipui erant Cantuariensis, Viacomien-
sis, Dunhelmensis, Vigorniensis, Carleo-